



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtrum post institutum Sacramentu[m] pœnitentiæ sit necessaria  
particularis co[n]tritio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

# QVÆSTIO II.

## De Obiecto Contritionis.

### DVBIVM. I.

*Vtrum ante institutum Sacramentum Pœnitentia fuerit necessaria distincta contritio peccatorum mortiferorum?*

1  
Tribus modis doleri potest de peccato mortali.

**N**Otandum est, de peccato mortifero tripliciter posse doleri, & conteri. Primò: excitando singulos dolores de singulis peccatis mortiferis, cuiusq; malitiã fecerim expensã. Secundò: si quis commemoratis omnibus peccatis suis in particulari, doleat de omnibus illis vnico dolore, qui formaliter ad omnia illa se extendat: & hic potest dici dolor particularis, & per eum homo dolere in particulari de omnibus. Tertio: si, non reductis in memoriam peccatis tuis, doleas de omnibus quæ commisit generatim; & dicitur dolor generalis.

2  
De singulis peccatis nõ fuit vnquã necesse singulos dolores excitare.

Dico Primò: Nunquam fuit necessarium de peccatis singulis singulos dolores excitare. Est communis Doctorum. Probatur: Quia homo subito potest iustificari: ad istud autem esset opus longo tempore, si quis multa peccata haberet. Ratio est: quia vna efficax contritio, extendens se ad omnia sine exceptione, est instar multarum contritionum singulis peccatis commensuratarum: sicut vna visio, quã decem res distincte videntur, est instar decem visionum.

Est tamen salutare consilium.

Notandum tamen est, esse salutare consilium, etiam de singulis præsertim peccatorum speciebus, dum quis conscientiam examinat, dolorem excitare, cum in illis sint distincti malitiæ gradus.

3  
Imò nec fuit necesse olim omnia, & singula peccata commemorare.

Dico Secundò: Probabilius est neque in lege naturæ, neque in lege veteri ante institutum Sacramentum Pœnitentiæ, fuisse necessarium ad iustificationem commemorare singula peccata, vt de omnibus vnica contritio cõciperetur, iuxta secundum modum. Est contra Melchiorum Canon Relectione de Pœnitentia part. 3. & quosdam alios, qui putant illud necessarium fuisse necessitate medijs. Et contra Dominicum Soto dist. 17. quæst. 2. art. 3. qui id putat fuisse necessarium necessitate præcepti. Sed nostram sententiam docet Casertanus Opusculo de Contritione quæst. 2. & Franciscus Victoria in summa quæst. 116. & alij multi recentiores.

Probatur Primò: quia hæc commemoratio peccatorum singulorum solum videtur necessaria ex præcepto diuino positio, idque in noua lege, nempe ob confessionem Sacerdoti faciendam. Cuius signum est, quia ea peccata, quæ non sunt necessariò confitenda, vt venialia, non sunt necessariò reducenda in memoriam: ergo ex iure naturæ neque mortifera.

Secundò: Quia dolor de peccatis requiritur ad reconciliationem, tum vt homo per illum auertatur perfectè à peccato, tum vt compenset apud Deum peccati culpam: sed hæc auersio & compensatio fieri potest per dolorem generalem sine illa particulari conscientie discussione; nam fieri

facile potest, vt quis plus doleat de peccatis sine discussione, quàm alius post discussionem: ergo, si hic satisfacit, etiam ille satisfacit.

Tertio: Dolor iste generalis, quo quis propositis sibi duobus vel tribus notabilioribus peccatis, dolet de illis, & de alijs omnibus quæ commisit, virtute se extendit ad singula, quæ commisit; adeò vt si de singulis rogaretur, diceret se ea detestari: ergo virtute æquualet particularibus doloribus illorum, ac proinde non opus est ea commemorare.

Quartò: Homo potest subito iustificari; vt patet in Paulo, Dauide, &c, vt infra ostendetur: ergo illa commemoratio non est necessaria. Dices: potest quidem subito iustificari, sed postea obligatur ad examen conscientie, vt possit de omnibus in particulari dolere: ita Soto. Sed contra: si ille iam iustificatus est per contritionem generalem, non tenetur iterum concipere contritionem. Nulla enim ratio postulat, vt homo bis debeat de vno peccato conteri, maximè cum per vnã contritionem possit iustificari.

Sed contra: Obijcitur Primò, Isaie 38. v. 15. *Recognitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime mee.* Respondeo: ibi solum dicitur, quid ille bonus Rex fecerit; non autem significatur hoc omnibus necessariò faciendum: sic David ait, *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*: tamen hoc non est præceptum.

1. Obiectio  
Solutur.

Obijcitur Secundò, Ezechielis 18. v. 25. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. non recordabor amplius*: quod eodem capite sæpiùs repetitur, addito semper signo vniuersali. Respondeo, non esse dubium, quim impius debeat dolere de omnibus peccatis suis, vt conuertatur & iustificetur: sed hoc potest fieri generatim absque singulorum consideratione.

2. Obiectio

Obijcitur Tertio: Ratio naturalis dicit, vt qui post varias iniurias alteri illatas cupit reconciliari, perpendat quantum iniuriæ contulerit, vt eam dignè possit æstimare: nam hæc æstimatio & agnitio apud offensum necessariã est ad reconciliationem: ergo &c. Confirmatur: quia cum quis cupit reconciliari, sponte occurrunt omnes iniuriæ, quas intulit, quasi naturã hoc procurante tanquam medium ad reconciliationem necessariam. Respondeo: Ratio dicit hoc esse valde expediens, non tamen esse necessarium: quia hæc æstimatio in genere fieri potest, cum omnia peccata in eo conueniant, quod sint iniuria in Deum. Ad Confirmationem: Ideo homini naturaliter tunc occurrunt iniuriæ, quia metuit ne fortè aliquid fecerit, propter quod non sit in gratiam recipiendus: quando autem hoc non metuitur, non sic occurrunt.

Solutur.

### DVBIVM. II.

*Vtrum post institutum Sacramentum Pœnitentiæ sit necessaria particularis Contritio?*

**R**espondeo & Dico Primò: etsi necessaria sit singulorum peccatorum commemoratio ad faciendam

3

Nec in noua lege necessaria est Contritio particularis de peccatis.

faciendam confessionem, non tamen est necessaria contritio particularis post commemorationem. Probatur Primò: quia in noua lege non est necessaria maior aut distinctior contritio, quàm in veteri; sed potius minor: nam etiam attritio sufficit cum Sacramento, quæ antea nunquam fuit sufficiens: ergo &c. Secundò: si talis contritio esset necessaria, vel id esset propter confessionem; nempe vt confessio nõ sit pura narratio, sed dolens sui accusatio; vel propter remissionem peccatorum obtinendam: Non primò: quia contritio generalis quæ præcessit, sufficiens est ad hoc, vt confessio sit dolentis accusatio: similiter attritio præcedens. Non secundò: quia remissio peccatorum facta est per contritionem generalem præcedentem; vel si præcessit solum attritio, sit remissio per verbum absolutionis vt Sacramenti: non est ergo necessarius alius actus contritionis, vel attritionis.

6  
Suadetur tamen ea vt vtilissima.

Dico Secundò: Etsi hæc contritio particularis, vel attritio post commemorationem nõ sit necessaria, si præcessit generalis, est tamen vtilissima, & omnibus seriò poenitere volentibus frequentanda. Probatur: quia interdum periculum est, ne is qui solum in genere dolet de omnibus, quæ commisit, non descendens ad singula, non doleat absolute, & efficaciter de omnibus, sibi ipsi imponens: multi enim sunt, qui dicunt se de omnibus dolere, tamen dum venitur ad particularia, non verè dolent, neque vellent se hoc non fecisse, quamuis displiceat illis quòd in eo opere Deum offenderint. Patet in eo, qui occidit inimicum, vel vsuris parauit multas diuitias. Secundò: qui seriò dolet in genere, & postea reuocat peccata sua in memoriam, vix fieri potest, vt non etiam doleat, vel inter commemorandum, vel postea, de omnibus. Tertiò: quia Patres hortantur ad

hanc discussionem, & particularem poenitentiam. Vide Augustinum lib. de vera & falsa Poenitentia cap. 9. 14. 17. & Chrysostomum Homil. 4. de Lazaro sub finem.

## DV B I V M III.

Vtrum de peccatis oblitis sit necessaria aliqua Contritio?

R Espondet D. Bonauentura dist. 17. p. 2. ar. 2. quæst. 2. Primò, Si oblitus sis in particulari, sed non in vniuersali, id est, si scis te commississe aliqua peccata, sed nescis quæ & qualia, necessaria est vniuersalis contritio: Quod est verissimum. Secundò: si omnino sis oblitus, vt nec in vniuersali nec in particulari recorderis, dicit nihilominus necessariam esse contritionem: quia quilibet debet existimare se in multis offendisse. Quod est salutare consilium, sed non necessarium, nisi quis esset obliuiosus, & ex multo tẽpore non cõfessus.

His adde, Quando quis recordatur peccati, cuius antè non meminerat cum contritionem ceterorum concepit & confessus est, non esse necessarium nouam de eo contritionem concipere (quamuis id sit valde expediens) nisi quatenus necessarium est illud confiteri. Sequitur hoc ex dictis: quia contritio illa prior virtute se extendebat etiam ad hoc peccatum: si enim tunc occurrisset, simul cum alijs, id detestatus fuisset: igitur cum per illam remissum fuerit, non est opus aliã contritione. Confirmatur: quia contritio solum est necessaria ob reconciliatiõnem: ergo obtentã reconciliatiõnem non est necessaria. Quia tamen præcepto positiuo diuino tenemur postea confiteri; & huius Sacramenti pars est contritio vel attritio, ob hanc causam requiritur nouus dolor.

7  
Si oblitus es in particulari.

Si omnino oblitus es.

8  
Si primò occurrat post confessionem.

## Q V Æ S T I O III.

## De Quantitate Contritionis.

1  
Quis dolor summus Appretiatiuè vel intensiuè.

N Otandura est: dolorem aliquem voluntatis posse dici magnum, vel summum, dupliciter: intensiuè, & appretiatiuè. Intensiuè summus est, qui summo conatu excitatur, quem voluntas humana excitare potest vel absolute, vel per gratiam præsentem. Appretiatiuè summus est, quo voluntas dolet tanquam de summo malo, pluris æstimans illud, quàm omnia alia mala; sic vt malit quoduis aliud malum, etiam mortem, subire, quàm illud.

## DV B I V M I.

Vtrum Contritio debeat esse summus dolor appretiatiuè?

2  
Communis sententia est affirmans.

R Espondeo debere. Est communis sententia Doctorum. Probatur: quia dolor peccati debet ita esse summus in contritione, sicut dilectio Dei debet esse summa in actu charitatis: at qui hæc debet esse summa appretiatiuè. Colligitur Matthæi 10. vers. 37. Qui amat Patrem, aut Matrem plus quàm me, non est me dignus: vbi Dominus requirit, vt ipse per amorem ceteris omnibus præferatur: ergo contritio debet esse summa.

Confirmatur: quia sicuti Deus est summum bonum, ita peccatum est summum malum: ergo sicut Deus debet summè diligi appretiatiuè inter bona, ita peccatum summè detestari inter mala.

Hic tamen quedam sunt notanda. Primò: Poenitentem non teneri facere comparationem cum alijs malis; & imperfectos non esse talibus comparationibus tentandos, vt rectè D. Thomas articulo 1. & alij Doctores: satis enim est, vt verè doleant de omnibus peccatis suis, quibus Deum offenderunt, & absolute proponant ea vitare. Nam etiam si talis dolor fortè non pertingat ad contritionis perfectionem, tamen saltem erit attritio, quæ cum Sacramento sufficit ad remissionem. Quicumque tamen actu habet veram contritionem, ita animo comparatus est, vt si tales comparationes occurrerent, magis detestaretur peccatũ, quàm quoduis aliud huius vitæ malum; malletque quæuis mala huius vitæ subire, quàm peccatum mortiferum committere. Qui verò tantummodo habitu sunt contriti, vt sunt omnes qui sunt in statu gratiæ, non necessariò talibus comparationibus occurrentibus præoptarent quoduis malum perpeti, quàm peccare; alioquin nemo ex illis

3  
Poenitens non tenetur facere comparationem cum alijs malis.